



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXIV. Honorandissima Mater. Omni honore honoranda, colenda, &
veneranda est B. V. Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXIV.

Maria Virgo honorata à Deo, honorabile Vas est:

UT populo suo honorabilem Mardocheum, rex Exordium.
 Assverus redderet, ipse eum honorare dignatus est,
 stolâ etenim regiâ indutum, atque equo imposi-
 tum, per plateas Civitatis duci, & exclamari jussit:
Hoc honore condignus est, quemcunq; Rex voluerit honorare. Esth.
 6. cap. Non mortalis tantum ac terrestris mundi hujus Mo-
 narcha, sed Deus immortalis, Rex regum, ac Dominus domi-
 nantium, Virginem benedictam multiplici honore in cælo
 ac in terrâ, honorare voluit, in Matrem enim elegit, & magis
 honorare non potuit, Nuntio angelico salutari fecit, corpore
 & animâ in cælos assumpsit, ad dexteram suam collocavit, in
 Reginam cæli & terræ coronavit: honore ergo digna est Vir-
 go Maria, quam Deus ipse in cælo ac in terrâ adeo voluit ho-
 norare, omnibus, inquam, terrestribus, ac cælestibus creaturis,
 hominibus nempe & Angelis honorabile Vas. Encomia ejus SS. Patres.
 SS. Patres venerabundi deponant. *Quis mortalium, nisi di-*
vino illustratus Oraculo, de unicâ Dei & hominis Genitrice, quid-
quam modicum, seu grande, presumat edicere, imò non timeat
hanc pollutis labiis nominare, quam Pater misericordiarum, & an-
te secula Deus, perpetuam predestinavit in Virginem dignissi-
mam, Filius praelegit in Matrem, Spiritus S. novâ gratia domi-
 cilium preparavit? cum reverentiâ quærit S. Bernardi-
 nus Senens. *Si Paulus electionis*
vas cognominatus est, propterea, quod venerabile Christi nomen,
 ubiq; terrarum circumferret, & promulgaret; qualenam Vas cen- S. Basilius
 senda est Deipara Virgo, qua non Manna, ut Urna illa aurea, sed Seleucius.
 caelestem panem, qui fidelibus in cibum & potum exhibetur, ute-
 ro complexa est. panegyricè perorat S. Basilius Seleucius. orat.
 de

de Annunt. B. V. *Hac fuit à Patre vocata per Angelum in*
Sponsam, ut Rebecca per Eliezer procuratorem Abrahæ in-
S. Antonin^o sponsam, ut Rebecca per Eliezer procuratorem Abrahæ in-
gum Isaac: à Spiritu S. sanctificata ab omni titillatione peccati
quantumcunq; minimâ: à Filio suo magnificata, sic ut aliter
diceretur, omnino finito: hac est ab Angelo venerata, depic-
rata à Patriarchis, à Prophetis prænuntiata, quasi à Regibus,
à Sacerdotibus figurata, exaltata ab Apostolis, Martyribus ad-
miranda, lux Confessoribus, à Virginibus imitanda, & invocan-
da à cunctis nationibus, quæ sub celo sunt. Serm. 4. Tit. 15. cap.
22. S. 8. Maria Deus præparavit grandem gloriam in celo, ut
S. Bonaven- sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in premio. So-
tura, raphicè speculatur S. Bonaventura. in speculo B. V. Lect. 2.
Sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile donum, quod
percepit, ita inestimabile atq; incomprehensibile præmium & glo-
ria, non dico, inter ceteras sacras Virgines, verum etiam ultra
omnes Sanctos, quam promeruit: pervenit namq; ad celi pa-
tium beata & gloriosa, ubi Christus Sponsus Ecclesiæ, intra thronu-
m collocavit eam, in dexterâ Majestatis, ibi siquidem con-
sumpsit præcellentissimam inter primos, ubi juxta David voca-
stat Regina à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata ro-
rietate. laudabiliter loquitur S. Epiphanius serm. 2. de Ab-
S. Epipha- sumpt. B. V. Tandem concludit. S. Epiphanius, serm. de In-
nius, B. V. Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim
& Seraphim, placens Christo Regi à Deo in honore habita, tan-
quam ancilla digna, & Mater. Honorabile igitur Vas est, quod
Deus ipse voluit honorare, cujus & nos dignissimo honore
imploratâ Spiritus S. gratiâ, speciosos Conceptus humiliter
subjungamus.

CONCEPTUS I.

Ad creationem mundi processurus Deus, quamvis con-

Confirmatio, seu Deductio, *turam, unico & solo Fiat produxit, ac creavit. Fiat lux. & facta est lux. Gen. 1. cap. Una nihilominus secuta est creatura, nimirum Adam, in cujus creatione, modum humani conceptus*

quendi, Deus mutavit; non jam dixit: *Fiat*: sed *faciamus* hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cur quæso, Deus producendo alias creaturas, dixit, *fiat*, creando hominem, dixit, *faciamus*? quænam hujus mutationis est causa? Respondet modernus quidam gravissimus Author: ideo creando hominem, dixit Deus: *faciamus*: & non: *fiat*: quia hoc *fiat* reservare voluit Mariæ Virgini, quæ proferendo novum Adamum Christum Dominum, proferret simul ejus *Fiat*: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Lucæ 1. cap. Ita Alexander Calamatus, in novâ Sylvâ Conceptuum. Disc. 40. num. 7. *O Fiat potens! ô Fiat efficax! ô Fiat super omne Fiat perpetuo honore venerandum.* (exclamat S. Thomas de Villâ Novâ. Conc. 1. de Annunt.) *hoc verbo Fiat, factus est mundus, hoc verbo caelestia, terrestriaq. Altissimus condidit, sed tale Fiat, non sonuit in orbe, quale nunctu Beata dixisti.* Favet huic Conceptui S. Ambrosius dicens: *Incomprehensibilis Deus, incomprehensibiliter operatur in Deiparâ, in quâ erat gratia laborum.* Maria itaque Virgo, de qua *Fiat* hoc perpetuo honore venerandum processit, quod reservavit illi Creator mundi, honorabile Vas est.

CONCEPTUS II.

Quamprimùm Christus mortem Lazari intellexit, Bethaniam venit, ut resuscitaret amicum suum; & ut vidit sepulchrum, ubi mortuus quatrduanus jacebat, erupit in lachrymas. *Lachrymatus est JESUS.* Joann. 11. cap. At verò, ut audivit JESUS Redemptor meus, se condemnatum ad mortem crucis, tantâ animi lætitiâ & jubilo, mortis sententiam acceptavit, & quasi nova lætiora ei significari non potuissent, alacer & hilaris abiit: *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ.* ad Hebr. 12. cap. Quâ de causâ, resuscitando Lazarum planxit Christus, & auditâ mortis sententiâ, gavisus fuit? Nõnne melius fecisset,

ses, mi dulcissime JESU! si in resuscitatione Lazari, ubi vitam alteri tribuebas, exultasses, hic verò, ubi de morte tuâ agebatur, flevisse, vel ob id, quòd mors crucis eoque tempore erat maximè infamis: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Deuteron. 21. cap. Non sanè: ut intelligas, quantum etiam morte suâ, honorare Matrem Christus voluit, resuscitare enim Lazarum ad vitam, effectus omnipotentia, ac Deitatis est, de hâc singulariter gaudendi ratio non erat, nam independentem ab omni Lazaro, sive vivo, sive mortuo, Deus erat ab æterno, neque resuscitatione, vel minimum Deitati accrevit: alii ire ad mortem crucis, effectus humanitatis erat, quâ homo enim, non quâ Deus, morti subiectus fuit, cum Deus sit immortalis; quia igitur Christus videbat, quòd morte suâ, se demonstraret verum ac germanum Mariæ Virginis Filium, & quòd assumpta de Virgine Mariâ humanitas Christi, dolorosissimâ crucis morte, tantam adeptura sit gloriam, & honorem, ut ei omne genu, cœlestium, terrestrium, ac infernorum flecti, reverentiam, cultum, & honorem exhiberi oporteat, atque hic ipse honor & gloria, in Matris honorem singulariter redundabit, utpotè de quâ Christus carnem & sanguinem totamque naturam assumpsit humanam, ideo auditâ mortis sententiâ gavisus est, & exultavit, *proposito sibi gaudere sustinuit crucem*, ut morte etiam ignominiosissimâ Matrem honorare mereretur. Præclare S. Ildephonsus serm. 2. de Nat. Virg. Mariæ. *Ut te veram Matrem ostenderet, se verum Filium patièdo tormentum monstravit. & P. Prosperus Radensis. Benignus atque amantissimus Filius, qui maluit paternitatem divinam celare, quam temporalem maternitatem.* In morte suâ Filius honorare Matrem voluit, ut necesse in vitâ honorem exhibere non dubitarem, quam infanti proli dignitas, honorabile Vas reddit.

CONCEPTUS III.

Videntes Hebræi stupenda miracula, quæ contigerunt

assumptâ humanitate patrabat Christus, inde argumentati sunt, & concluderunt, ipsum omninò, & verè esse Filium Dei, Redemptorem generis humani, ac verum totius populi Israëliti Mesiâ; itaque cùm audirent, Christum morari extra Civitatem, iverunt multi Satrapæ & scribæ, ut illum inviserent, & suum Regem, Principem, ac Dominum facerent; id advertens Christus, *fugit in montem ipse solus*. Joann. 6. cap. Totum oppositum fecit Matth. 2. cap. etenim vix natus Christus in Bethlehem, voluit ab omni creaturâ adorari, neque tantùm à gente plebeîâ, & infimæ sortis ac conditionis vulgo, sed etiam à Magnatibus, Principibus, & Regibus, inter quos fuère tres Magi, & Reges, qui ab ultimis mundi finibus, Bethlehem venerunt, ut Christum adorarent. *Et procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham.* Regium, imò divinum honorem ac munera Deo ac Rege digna, ab his benignè suscepit JEsus. Quæ nunc est causa, cur Christus Dominus, ne adoraretur, fugit in montem, & in præsepi voluerit adorari? In deserto, etiam ab hominibus infimæ conditionis, & sortis, noluit sibi exhiberi officia & obsequia, & in præsepi ea acceptavit, præcepitque, & mandavit, ut potentissimi etiam reges, ipsum adorarent? In deserto se abscondit, ne honor & reverentia, tametsi debita, ei deferretur, & in præsepi, velut dubius, aut timens, ne à Magis non inveniretur, novam creavit stellam, quæ illos ad destinatum, ubi adoraretur, locum deduceret. Et cur hoc? An non unus & idem Christus erat in utroque loco? omninò. Cur igitur hic solùm, & non etiam ibi adorari voluit? Ut significaretur nobis, quàm sollicitus de honore Virginis Salvator noster fuerit, hunc tanti fecit, ut omnis alterius honoris se judicaret prorsus incapacem, quotiescunq; is, non simul in Mariam Virginem redundare: erat idem mèt JEsus & Dominus, tam in deserto, quàm in præsepi, & nihilominus noluit adorari in deserto, qui adorationem in præsepi permittit, & admittit: quâ de causâ? perlegite sacrum textum, & comperietis, Mariam Virginem, quando Hebræi venerunt in desertum, ut debitum adorationis honorem

rem Salvatori nostro deferrent, non fuisse ibidem præsentem, idcirco *fugit in montem ipse solus*. quasi dicere voluisset: quæne hunc regis honorem, hanc regii tituli gloriam acceptabam cum non adsit Maria Mater mea, à quâ omnes mei dependent, & vitam cæperunt honores? non, non, nolo illum, & idcirco *fugit in montem ipse solus*. Ast in præsepiti præfens erat beatissima Virgo: *Intrantes domum, in venerunt puerum cum Maria Matre ejus & procidentes adoraverunt eum &c.* Quia, inquit Christus, ubi præfens est Maria Virgo Mater mea, ibi omnis etiam est honor & gloria mea, & idcirco gratum habeo, quod ibidem etiam adorer. Hisce attestatur S. Milton serm. 5. de Dominicâ dicens: *Noluit in deserto coronari, voluit in præsepiti adorari, quia ibi Maria Mater ejus non erat, hic autem habebatur.* & idcirco S. Bernardus, serm. de Epiphaniâ loquens de coronâ, quæ beata Virgo coronaverat Christum, dicebat. *Dominus noster, qui à Patre coronatur coronâ gloriæ, à Mariâ Virgine coronatur coronâ humanitatis.* O! verè Vas honorabile Virgo Maria.

CONCEPTUS IV.

Figura ineffabilis illius honoris, quo assumptam corpore & animâ, in cælos Virginem Christus Dominus coronavit, repræsentata est S. Joanni Evangelistæ in mysteriorum suâ Apocalypsi. 12. cap. *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Per hoc signum, benedicta inter mulieres Virgo Maria, juxta communem SS. Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ sensum intelligitur, sed quid Sole, Luna ac stellarum duodecim coronâ indicatur? solis ac lunæ figuram perpendit Richardus à S. Laurentio, lib. 7. de Laud. B. V. *Sol dicitur, quasi solus lucens, id est, præ cæteris luminariis, sicut enim cæteris sideribus claritate luminis, & Majestate præfertur; sic in cælesti gloriâ, Maria sanctis omnibus, & gloriâ superponitur: sicut sol pulcherrimum luminarium est; sic Maria dignissima creaturarum Dei, post animam*

*fit: Sol lunâ lucidior, & luna sideribus, sic Maria dignior
creaturis omnibus: in mundo est unus Sol, & Maria, una Sola
est, Mater & Virgo. Coronam ejus, observat S. Bonaventura in
Spec. Virg. cap. 8. Posuit Christus in capite Matris, diadema
Regis, diadema certè impretiabile, diadema tam delectabile,
diadema tam mirabile, quod omni linguâ inenarrabile est. Duo-
decim stellas explicat S. Bernardus ferm. in Sign. Magn.
Non incongruè duodecim stellas istas duodecim prerogativas gra-
tiarum, intelligere videamur, quibus Maria singulariter adorna-
tur. & concludit ferm. 1. de Assumpt. B. Vir. Maria presentia to-
tus illustratur orbis, adeò, ut & ipsa jam cœlestis patria, clarius ruti-
let, Virginea lampadis irradiat a fulgore; nec in terris locus dignior,
uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in
caelis, regali folio, in quo Mariam, Maria Filius sublimavit, ac
cœlo & terræ honorabile Vas reddidit.*

Dignum itaque & justum est, ut quam Filius Altissimi ho- Epilogus,
noravit in terris, & exaltavit in cœlis, nos quoque Dei ac no-
stram Matrem, nec non omnium creaturarum Dominam uni-
versalem, omni excogitabili honore & amore prosequamur,
atque invocemus cum S. Germano Patriarchâ Constantino-
politano in Mariali à Maratio edito. Orat. de Annunt. B. V.
*Introduc in cœlorum regnum, O Domina universorum! confiten-
tes tibi, qui te pro Dei Matre, verè, ac propriè habent, & corda
sua, hoc animi affectu, fide sanctificant, & linguam suam, hoc no-
mine consecrant, quiq; auxilio tuo gloriantur, & anchoram spei
sua, in tuo patrocinio post Deum collocant. Amen.*

*Proles sanctæ Anna, fit Vas venerabile Manna,
Cœli Manna pluit, quando Deum genuit.
Tunc vitæ panem dedit, & satiavit inanem,
Vas coles, in cœlis, si satiari velis.*